Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Sed dum vector corporis transiret fidis martyris excitatus divinitus
forte venit obviam, procedens peram tetigit, tangensque visum re
cepit. Videns laudare incipit laudans se atque reprimit. Nam
vector corporis timet se vivum inferri si hoc tantum miraculum so
naret ore omnium. Ob hoc hunc rogat tacite ne istud vellet
prodere. Cui qui cecus fuerat precibus vix annuerat. Nil armiscels
rememorans ceptum iter accelerans prope sua confinia iam dixerit
vestigia. Cui turba conchacensium dei laudes sonantium, preter
talli gloria gaudens processit obviam. Acceptisque reliquiis divi
nis cum exequiis ut dignum erat facere curarunt has reponere.
Tunc in francorum partibus minor repugnabat Karolus quem post
franci de solio deposuerunt. De regio facta est hec translatio beate
fidis martyris in die nono decimo kalendas februarii. Hinc apud
conchas agitur hic dies celeberrimus in quo christo sit gloria per infinita
secula amen.

Sergii et bachi martyrum

In temporibus maximiani imperatoris tunc quasi
stelle quedam terrestres Sergius et Bachus cir
ca salvatoris domini nostri ihesu christi confessionem et fidem cla
ro lumine resplendebant. ita ut nobilis in
tra palatium et honorabiles haberentur et iam
ab ipso imperatore maximiano gratia maxima
diligentur. Siquidem sergius inter primicerios
fuerat scole gentilium amicus imperatoris. Tantam ergo fiduciam
coram ipso habebat ut celeriter impetraret quicquid voluisset. Unde
et antiochum quendam cum propinquum beatus Sergius haberet familia
rem petivit ab imperatore ducem eum fieri eufratensis provincie.
Beatus vero bachus eidem in tempore gentilium scole secundicerius
fuit. Qui enim unanimiter inter dilectionem possidebant non
sine ratione in seculari milicia consistebant inseparabiles. Hii
quoque non affectione nature sed mentium copulati psallebant dicentes
Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Erant enim y
donei et optimi dei milites. non solum ad destructionem erroris
diabolici scriptura sacra divina inspiratione pleni edoc
ti quam etiam ad barbarorum impetum bellicosis ad plenum certami
nibus exercitati. Invidia tamen detestabiles maligni demones
quosdam qui in eum gentilium errore residebant inruentes
cum vidissent eos intra imperiales aulas probabiliter conversari.
et in milicia semper proficere. quendam apud imperatorem habere fidu
ciam. cum non possent aliter sue machinationis implere cona
mina tempore quodam cum apud imperatorem non esset singulare eum inveni
entes dicunt ei. Multum studium tuum immortalis imperator circa
venabilium et deorum maximorum pietatem unum sacris utique litteris de
stinatis precepisti eos qui nolunt colere et adorare vestros deos
obtemperantes intemeratis sectionibus cruciatibus extinctis con
sumi quorum tantam habent fiduciam apud eternum vestre ma
iestatis imperium. Sergius et Bachus christum colentes quem
ut porte malum qui dicuntur iudei crucis patibulo pereme
runt. multosque alios a cultura deorum separantes sue religi
oni indesinenter adiungunt. Cum hec maximianus nequissimus
imperator audiret non credidit dicens. Non opinor vos
vera dicere. ut sergius et bachus honorificentiam diis quam a nobis
venerabiliter coluntur non deferant. precipue cum noverint non ob aliud
me circa eos amicitiam immaculatam detinere. nisi quod circa eos deos vo
to studioso famulari nituntur. Si autem ut dicitis impiissime alie
ne religionis nunc maiestatis iudiciis comprobabuntur. Precedat
ad templum magni iovis et siquidem immolaverint ipsi vobis in
putabunt qui magnum calumnie mitto vestro capiti intulis
tis preiudicium. Si vero sergius et bachus sacrificare noluerint digna
sue impietati cruciamenta sustinebunt. Confestim vocavit
eos imperator. Christi itaque milites ministris precuntibus cum consueta
regali ingrediuntur pompa. Adsumptisque eis imperator ibat
cum illis tacitus in templum iovis. Cum autem ingrederetur cum univer
so exercitu et de sacrificiis degustantibus non vidit dei famulos Ser
gium et bachum. non enim ingressi fuerant in templum impium videlicet
et nefarium estimantes videre demonibus sacrificantes et de pro
fanis sacrificiis degustantes. stantes autem foras talem orationem
deo fundentes dicebant. Rex regum et dominus dominantium qui solus ha
bes immortalitatem et lucem habitas inaccessibilem illumina oculos
mentis istorum quia in tenebris ignorantie commorantur quia commu
taverunt gloriam tuam in similitudinem imaginis incorrupti
bilis volucrum et serpentium et servierunt creature potius quam creato
ri. Converte quesumus eos ad tui nominis agnitionem ut cognos
cant te solum dominum verum et filium tuum unigenitum dominum nostrum
ihesum christum. qui propter nos et propter nostram salutem de celo descen
dit passus est et resurrexit tertia die. ut nos erueret de pra
vo simulacro erroris. nostras vero animas in via testimoniorum
et preceptis tuis ambulantes omni tempore custodis immaculatas consua.
Et dum adhuc esset oratio in ore ipsorum misit imperator quos
dam de astantibus satellitibus et iussit eos intrare in templum
Qui cum introducti fuissent dixit ad eos imperator. Videtis in mi
nima amicicia mea et benignitate confidentes. regalia vel
lis precepta contempnere ut deos deseratis immortales qui curam
vestram gerentes huic nobis munus gratum contulerunt. Sed non
vos patiar absque tormentis vitam finire. si ea que de vobis
dicuntur vera esse comprobantur. Accedentes ergo ad aram magni
iovis immolate et misticis sacrificiis manducate. quemadmo
dum omnes quos circumstantes videtis. Respondentes autem mili
tes christi fortissimi et martyres Sergius et bachus dixerunt. Nos quidem
imperator terrestris milicie non abnuimus potestati tue reddere
ministerium. habemus autem regem verum atque eternum in celis filium
dei dominum nostrum ihesum christum cui nostras animas ad spiritualem devo
vimus miliciam. Hec est in eternum spes et salutis refrigerium.
cui per singulos dies sacrum salutare non desinemus offerre sacrificium. hec
est rationabilis nostre fidei cultura. lapidibus vero vel lignis scias
nos nulla penitus offerre sacrificia. Nam dii vestri cum au
res habeant. precationes hominum non audiunt. similiter
nares habentes oblata sibi sacrificia non odorant. et os haben
tes non loquuntur. manus habentes non obtrectant. Similes illis
fiant sicut dicit scriptura divina qui faciunt ea. et omnes qui confidunt
in eis. Iracundia itaque imperator magna commotus iussit confes
tim cingula eorum abscidi. et milicie clamidibus exui. torques
quoque aureos quos circa collum habebant precepit auferri. Ad
huc seviens dixit. Tunicas mulieres adferte et hos induite

25